



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Cap. XV. De Immunitate Ecclesiastica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

ficiendo Inventario rerum, jurium, ac monumentorum omnium, in Episcopali Archivio reponendorum, diligenter collaborent.

3 Indignissimum est, Ecclesiæ reditus ac Eleemosynas piorum, congestas, in non rectum usum converti, aut etiam in computationibus abliguriri, proinde, sub restitutionis ac aliis pœnis Nobis arbitrariis, prohibemus convivia & computationes, dum conventiones instituantur, vel quicquam ratione Ecclesiæ emittitur aut tractatur, cerei conficiuntur, vel annuæ rationes rerum fabricæ traduntur; quod diligenter Pastoribus curandum commendamus.

4 Provisores fabricæ nullas arbores vendant, cædant, minus vero donent, vel ipsi sibi usurpent, ex sylvis Ecclesiæ, sub pœna restitutionis quadrupli, & alia Nobis arbitraria; in quo diligentes inspectores Parochi esse moneantur.

5 Eleemosynæ, pauperibus addictæ, vere pauperibus, frugi & Catholicis, sine humano affectu distribuantur, ordinatis temporibus, ac maxime diebus Dominicis & festivis, post Sacrum & Concionem, quibus pauperes interesse debent.

#### C A P. XV. De Immunitate Ecclesiastica.

1 **E**xemptiones ac immunitates rerum ac personarum Ecclesiasticarum, tam divinæ Scripturæ autoritate, quam perenni usu ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, concessæ ac confirmatæ, posteriorum temporum injuriâ, ac hæreseon malevolentia in his regionibus nonnihil concussæ ac labefactatæ conspiciuntur, quas Nos cum antiquis religiosiss. Imp. 2 & hujus Diocesis Fundatore Carolo Magno, 3 & SS. Concilii Tridentini 4 Patribus, hoc Nostro Synodali decreto, in pristinum gradum restitimus, & innovamus omnia Concilia generalia, Apostolica & Imperiales Sanctiones, in favorem Ecclesiasticæ libertatis & contra ejus violatores decretas; ac propterea omnes & singulos Magistratus, Officiatos, ac Ministros Nostros hortamur, ut libertatem Ecclesiasticam impigre defendant, & in illos, qui illam perturbant aut impediunt, graviter animadvertant.

2 Nullus in personas Ecclesiasticas, aut earum bona aut loca, contra Iuris Canonici & Civilis Constitutiones sibi quicquam vendicet, aut Clericum coram sæculari Iudice 5 conveniat, aut mulctam coram pœnam, 6 vel indignum & sordidum onus ei imponat, minus illum captivare vel in vincula conjicere præsumat, sed delinquentes Clerici Nobis aut Nostro Vicario denuncientur.

3 Quod si vero Clericus enormiter valde deliquisset, 7 & vehemens fugæ suspicio adesset, permittimus, ut à sæculari Magistratu in loco certo & honesto, donec Nos vel Vica-

rius Noster certiores facti fuerimus, detineatur, aut vincus securo sed decenti modo ad Nos mitti possit.

4 Quod de asylo 8 & immunitate ac securitate Ecclesiarum & Cæmeteriorum constitutum est, ut nullus inde extrahi possit, inviolabiliter quoque observari volumus; exceptis publicis 9 latronibus, qui per industriam proximum occiderint, incendiariis, vel nocturnis agrorum depopulatoribus, qui itinera obfident aggressionum infidiis; denique qui sub immunitatis spe in Ecclesiis delinquant.

5 Si vero à confugientibus ad Ecclesias talia sint commissa crimina, quæ ne impunita permaneant, interfit Reip., tantisper sæcularis potestas à manuum injectione absteat, donec Nos aut Nostri Officiales consulantur, & ab iis licentia impetretur.

6 Ad hanc quoque immunitatem Ecclesiæ & Cæmeteriorum spectat, ne quid in iis ædificetur aut construatur aut exerceatur, quod usibus prophanis ferviat; quapropter loca sacra ubique diligenter clausa, & à negotiis prophanis libera esse volumus. Iudicia vero sæcularia, 10 ludos histrionum & jocularium, forum rerum venalium, prandia publica, computationes, choreas, saltationes, & similes infolentias, in iis districte prohibemus.

7 Animadvertimus etiam, in Diocesis Nostre multis Cæmeteriis habitationes & ædes Laicorum erectas contra sacerorum Canonum prohibitionem & Ecclesiasticæ libertatis immunitatem. Cui malo cum debito modo mæderi velimus, illud in primis statuimus, ne posthac ullæ ædes amplius in Cæmeteriis sub quocunque prætextu ædificentur: quæ autem à tempore recol. mem. Prædecessoris Nostri extructæ sunt, ut deiciantur; quæ vero jam antiquatæ, aut prope ruinam sunt, ne amplius instaurentur. Conandum vero erit, ut hujusmodi ædes ad alia loca transferantur, & in primis, ut fimeta ac vaccarum & porcorum stabula & similes impuritates ex locis sacris removeantur. Quod curæ Pastorum, & officialium nostrorum quos ipsi ad hoc imploraverint, serio committimus; quorum negligentiam arbitraria animadvertione persequemur.

8 Prohibemus quoque serio, ne mercatus, etiam tempore Dicationis & aliarum solemnitatum, in Ecclesiis, Cæmeteriis, Templorum vestibulis ac porticibus instituantur. quod similiter serio Pastoribus, & aliis officiatis Nostris quos illi pro auxilio imploraverint, committimus.

9 Etsi quidem, ob hostilem incursum, subita incendia, aut alios improvisos casus, ad loca sacra cum rebus suis confugere non sit illicitum: Volumus tamen, ut, periculo aut necessitate cessante, quæ illata sunt, rursus inde exportentur, nec lino, frumento, lana, panno, ciba-

1 Gen. 47. vers. 26.

1 Esdr. 7. vers. 24.

l. 12. c.

De sacr.

Eccles. l.

omnes c.

De Episc.

et Cler. l.

De nobis

et l. ult.

ead. tit. l.

privilegia

et cons.

seq. cass. c.

De sacro

Ecc. l. si

vener.

eum Const.

seq. c. De

Episc. et

Cler. c. non

minus 4.

et c. ad-

versus

consules.

De immu-

nit. Ecc.

et eod. tit.

in 6. et in

Clem.

2 Constan-

tino, Va-

lentinia-

no, et Ju-

stiniano,

Anastasio,

Iustinia-

no, &c.

supr. all-

gatis ll.

3 lib. 6.

leg. c. 109.

4 Sess. 25.

c. 20. de

refor.

5 c. quali-

ter. De

jud. Ciset

aut.

6 c. nul-

lus. De

foro com-

pet.

7 Facit. c.

Ut fama.

De sent.

excom.

1 Can. mi-  
ror. c. fra-  
ter. c. nul-  
lus Cleric.  
c. si quis.  
c. metuen-  
tes. C. de  
finit. c.  
Id consti-  
tuimus.

17. q. 4.  
tot. tit. de  
immunit.  
Eccles. ext.  
et in 6. l.  
fidel. et l.  
pateant. c.

De his qui  
Ecc. conf.  
9 C. sicut  
antiqui-  
tus. 17. q.  
4. c. Inter.  
et c. fin. de  
immunit.

Ecclesia-  
rum.  
10 c. 1. de  
immunit.  
Eccles. c.  
de cet. eod.  
tit. in 6.

c. de cet  
domum.  
De immu-  
nit. Eccle-  
siar. in 6.

cibariis, cistis, hastis, ensibus, sclopiis, signis militaribus, aliisque impedimentis, Tempa, Sacella, Sacraria, per annum repleta mancant, uti in multis locis apparet, & Pastoribus diligenter emendandum injungitur.

10 Magna curâ à Prædecessoribus Nostris provisum fuit, ut insignes ædes, in immunitatibus præsertim Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum, ædificarentur, ut, ista excellentium ædificiorum commoditate & jucunditate, Canonici & Ecclesiarum ministri ad residentiam & personale obsequium invitarentur. Quæ omnia in plerisque locis contra primam institutionem & sacrorum Canonum sanctionem perverfa & immutata sunt; & domus, quæ olim Canonorum & ministrorum Ecclesiasticorum habitationi comparatæ ac dedicatæ fuerunt, nunc laicis conjugatis, mercatoribus, forsitan etiam interdum non satis honestis ac plane hæreticis, locantur, magno contemptu & irreverentia Ecclesiæ & constitutionum Ecclesiasticarum, eoque minus tolerando, quod ab iis hæc injuria in Ecclesia enascatur, à quibus hujusmodi jurium defensio merito requiritur. Quare, ut, quæ tam bona & utili Ecclesiæ Majorum intentione bene sunt constituta, posteriorum negligentia ad Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem & immunitatis violationem non confundantur; præsentis decreto statuimus ac districte prohibemus, ne de cætero quispiam domos Capitulares sive hæreditarias, ab aliqua Ecclesiarum dependentes, quas Canonici seu Beneficiati ipsius Ecclesiæ inhabitare consueverunt, laicalibus seu extraneis personis quibuscunque sine Nostra licentia dare vel locare, committere seu vendere ad inhabitandum, nullatenus vero ad nuptias, choreas publicas, vel alia secularia negotia in eis exercendum, concedere præsumant.

11 Et, si forte actu aliquæ domorum hujusmodi locatæ ac concessæ sint, locationes & concessiones hujusmodi, illi, ad quos pertinent domus, intra competentem terminum studeant cum effectu revocare; alioquin Nos, præter arbitrariam Nobis pœnam, locationis pretia eo ipsa commissa, & judicio Nostro piis locis applicanda declaramus.

12 Quia vero ædes Canonicales ac Beneficiales, pudore publico, ac magno Ecclesiarum ac Beneficiorum detrimento, destructæ ac ruinosa conspiciuntur: Mandamus omnibus & singulis Capitulis, Collegiis, Prælatiis, Structurariis, Provisoribus, & aliis ad quos ea res pertinet, ut ædes hujusmodi ruinosa annue inspiciantur, visitentur & restaurentur, ac in posterum sartæ tectæ conserventur, sub pœna arbitraria contra negligentes.

## C A P. XVI. De Archivio Episcopali.

1 Magna Ecclesiæ ac piis locis incommoda accidunt, quod, quæ à Majoribus in pios usus donata sunt, sæpe negligentia vel avaritia posterorum aut intercidant aut ignorentur aut intervertantur; ut sæpe necessarium sit post obitum Beneficiorum novas designationes reddituum ex aliorum relationibus facere, antiquis registris vel monumentis deperditis; unde, præter defraudationes Ecclesiarum, sæpe lites oriuntur, quibus ob ignorationem monumentorum, jurium & designationum, non facile decisio invenitur, multaque ex patrimonio Christi dependantur ac negliguntur.

2 Hinc Nos, pro Pastoralis Nostri muneris obligatione, hujusmodi incommodis obviare volentes, statuimus, Archivium Episcopale in Nostra Cathedrali Ecclesia Osnabrugensi, vel alio loco commodo, à Nobis designando, erigendum esse; ac volumus, ut singuli Parochi ac Beneficiati intra sex menses à publicatione hujus Nostræ Synodi, vocatis iis quorum interest, Inventarium omnium & singulorum bonorum tam mobilium quam immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum, jurisdictionum, privilegiorum, ac scripturarum, debitorum & aliorum quorumcunque ad ipsas Parochias seu Beneficia pertinentium, cum eorum confiniis & plena descriptione per publicam personam, in præsentia duorum saltem testium, confici procurent, ac Nobis aut Nostro in Spiritualibus Vicario tradant, in Archivio illo publico recondendum.

3 Repertorii hujus duo exempla in forma Authentica per eandem publicam personam conscribantur; quorum alterum apud Parochialem seu aliam Ecclesiam, in archivio, seu in loco alio, bene munito & custodito, qui duabus aut tribus differentibus clavibus aperitur, quarum unam Parochus, alias Provisores templi, vel, cum Diocesis Nostra in regiunculas suas & Decanatus Rurales divisâ fuerit, Decanus Ruralis illius Capituli habeat, alterum exemplum in dicto Archivio Episcopali ad hoc deputato conservetur: singulis autem decenniis Inventarium illud renovari volumus.

4 Idem faciant, & hujusmodi Inventaria conscribant, Capitula omnia, & Collegiatarum Ecclesiarum, Hospitalium, ac quorumcunque piorum locorum gubernatores seu administratores; & alii, quicumque Beneficia Ecclesiastica quæcunque, cum curâ vel sine curâ, quocunque nomine nuncupentur, obtinent, intra annum à publicatione hujus Synodi, & alterum exemplum in communi suo Archivio retineant, alterum in Archivio Episcopali asservandum tradant. Contra negligentes hac in parte pœna arbitraria procedemus.

5 Nullus

Vide Con-  
stit. Ar-  
chiepisc.  
Col. Fri-  
derici. 7.  
fol. 227.